



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Basilicae S. Mariae. Maioris De. Vrbe A. Liberio. Papa. I.  
Vsque Ad. Pavlvn. V. Pont. Max Descriptio. Et. Delineatio**

**Angelis, Paolo de**

**Roma, 1621**

Pavlvvs Papa Qvintvs. Ad futuram rei memoriam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13873**

# PAVLVS PAPA QVINTVS.

Ad futuram rei memoriam.



*M* sicut dilectus filius Paulus de Angelis Presbyter Siracusanen. familiaris continuus commensalis noster Nobis nuper exponi fecit ipse Paulus, opus quoddam, seu tractatum de Basilica B. Mariæ Maioris nuncupate de Vrbe à se compositum, variisque figuris ornatum in lucem edere intendat, ac vereatur, ne postquam in lucem prodierit, alij, qui ex alieno labore lucrum querunt id ipsum opus typis cudi facere curent in ipsius Pauli praeiudicium. Nos eius indemnitati, nè impressione huiusmodi nimium dispendium patiatur pro- uidere, illumq̃ specialibus fauoribus, & gratijs prosequi volentes, & à quibusuis excommunicationis suspensionis, & interdicti, alijsq̃ Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet inmodatus existit ad effectum presentium dumtaxat consequen. harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ipsius Pauli nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati: Eidem Paulo, ut quindecim annis proximis duratibus à primæua dicti operis, dummodo tamen antea à dilecto filio Magistro sacri Palatii Apostolici approbatum sit, impressione computan. nemo tam in Vrbe, quàm in reliquo Statu Ecclesiastico mediatè, vel immediatè Nobis subiecto opus prædictum sine speciali dicti Pauli, aut eius heredum, & successorum, vel ab eis causam habentium licentia imprimere, aut ab alio, vel alijs impressum vendere, seu venale habere, seu proponere possit, & valeat auctoritate Apostolica tenore presentium concedimus, & indulgemus. Inhibentes propterea vniuersis, & singulis vtriusque sexus Christi fidelibus, præsertim librorum impressoribus, sub quingentorum ducatorum auri de Camera, & amissionis librorum, & typorum omnium pro vrba Camera nostræ Apostolicæ, ac pro alia eidem Paulo, & pro reliqua tertijs partibus accusatori, & Iudici exequenti irremissibiliter applican. & eo ipso absque ulla declaratione incurren. pœnis, ne dictis quindecim annis duran. opus prædictum, aut aliquam eius partem etiam prætextu additionum, aut explanationum, tam in magno, quàm in paruo folio, ac tam in Vrbe, quàm in reliquo Statu Ecclesiastico prædictis sine huiusmodi licentia imprimere, seu ab alijs impressum vendere, vel venale habere, seu proponere quoquo modo audeant, aut præsumant. Mandantes etiam dilectis filijs nostris, & Apostolicæ Sedis de latere Legatis, seu eorum Vicelegatis, Præsidentibus, Gubernatoribus, Prætoribus, & alijs Iustitiæ Ministris Prouinciarum, Ciuitatum, terrarum, & locorum status nostri Ecclesiastici, quatenus eidem Paulo, eiusque successoribus, & heredibus, seu ab eis causam habentibus huiusmodi in præmissis efficacia defensionis præsidio assistentes quandocunque ab eodem Paulo, & alijs prædictis fuerint requisiti pœnas prædictas contra quoscuq̃ inobedientes irremissibiliter exequantur. Non obstant. constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quibusuis statutis, & consuetudinibus, & iuramento confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis priuilegijs quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum, quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis, ceterisque contrarijs quibuscunque. Volumus autem, quod presentium transumptis etiam in ipso opere impressis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo persone in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ presentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostense. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem. Sub Anulo Piscatoris die decima- quinta Decembris. M. DC XVI. Pontificatus Nostri Anno duodecimo.

Scipio Card. S. Sufannæ.